

CAPITULUM 5  
DE GENERE LOGICO

§1

Eorum enim quae praedicantur... 2,17-22 . Ista est secunda pars huius capituli, in qua Porphyrius probat definitionem generis postquam eam recitavit. Et facit duo: primo quidem praemittit unam distinctionem; secundo vero exsequitur de intento per conclusiones, ibi:<sup>1</sup> ab his ergo.

Distinctio est ista: eorum quae praedicantur quaedam de uno solo praedicantur, et quaedam de pluribus. Illa quae de uno solo praedicantur sunt individua; quorum aliqua sunt nominata, ut Sortes et Plato, quaedam vero sunt signata et pronomine demonstrata, ut hic et haec et hoc. Quod quidem est dupliciter intelligendum: aut simpliciter, dicendo 'hic currit', 'illa movetur', 'hoc disputat', aut cum additamento, ut 'iste homo currit', 'illa equa movetur', 'hoc animal disputat'. Illa quae praedicantur de pluribus sunt quinque praedicabilia, videlicet genera et species, differentiae, propria et accidentia, loquendo de accidentibus quae sunt communia multis et nulli propria. Nam talium quaedam praedicantur in quid, ut genera et species, quaedam praedicantur in quale, ut differentiae, propria et accidentia. Exempla omnium istorum: animal enim est genus, quod de homine et de equo praedicatur; homo est species, quae de Sorte et Platone praedicantur; rationale est differentia, quae de eisdem praedicatur, risibile est proprium, quod etiam de illis praedicatur; album vero est accidens, ac etiam nigrum et sedere, quae de pluribus praedicantur sicut et praecedentia praedicabilia. Notanter dicebatur quod accidens praedicatur de pluribus, non quidem proprium alicui sed commune, quia accidens absolute sumptum de pluribus praedicatur, ut album et nigrum; accidens autem limitate sumptum per individuum non praedicatur de pluribus, ut albedo Sortis et nigredo Platonis, seu hoc album et hoc nigrum. Tale qui

dem accidens non est commune multis, sed uni appropriatum, et ex hoc non est praedicabile.

Lege litteram: eorum enim quae praedicantur alia quidem de uno solo dicuntur, sicut individua ut Socrates, et hic est haec et hoc; alia vero de pluribus, quemadmodum genera et species, et differentia et propria et accidentia communia et non propria alicui. Est autem genus quidem ut animal, species ut homo, differentia ut rationale, proprium ut risibile, accidens ut album, nigrum, sedere.

## §2

De individuo

Notandum quod quadruplex est individuum. Primum est signatum, ut hic et haec et hoc; secundum est nominatum ut Sortes et Plato; tertium est vagum, ut aliquis homo, aliquis equus; quartum est circumlocutum, ut Sophronisci filius. De primis duobus individuis facit hic Porphyrius mentionem, de tertio individuo loquitur Aristoteles in Praedicamentis,<sup>2</sup> de quarto vero determinat Porphyrius<sup>3</sup> in sequentibus.

Quodlibet istorum videtur de pluribus praedicari: quoniam tam Sortes quam Plato est hoc, demonstrando hominem communem; et possibile est quod plures sint homines quorum quilibet sit Sortes, dato quod sic nominentur; et iam de facto plures sunt homines quorum quilibet est aliquis homo; et si Sophroniscus multos filios haberet, quilibet illorum esset Sophronisci filius. Quapropter est considerandum quod, cum ea quae sunt per accidens sint relinquenda in scientia speculativa, ut probatur I Posteriorum,<sup>4</sup> non habet Porphyrius hic mentionem facere nisi de individuis quae sunt per se individua et quae per se praedicantur. Constat autem quod Sophronisci filius non est per se individuum, sed per accidens, quia accidit Sophronisco habere filium, et accidit filio habere Sophroniscum patrem. Sed aliquis homo non per se praedicatur, solum autem per accidens praedicatur, ratione naturae

communis contractae per signum non ad determinatum individuum, sed ad determinatum sexum; si enim aliquis homo per se praedicatur, cum autem praedicetur de pluribus, sequitur quod in re est dare unam naturam masculinam mediam inter hominem communem et hunc hominem, et consequenter est dare unam naturam femininam mediam signatam per hoc individuum vagum, aliqua homo. Ex quo sequitur quod homo non sit species specialissima, quia habet speciem infra se -quod est absurdum. Si ergo individuum vagum non per se praedicatur, et individuum circumlocutum non est per se individuum, individuum autem signatum et nominatum sunt per se individua et per se praedicantur, ideo de his solum facit Porphyrius mentionem. Si autem alibi loquitur de individuo circumlocuto et Aristoteles de individuo vago, hoc contingit solum exemplariter; "exempla enim ponimus non ut ita sit, sed ut assentiant qui addiscunt" -inquit Philosophus, I Elenchorum.<sup>5</sup>

Quando autem arguitur quod individuum signatum praedicatur de pluribus, quia tam Sortes quam Plato est hoc, demonstrando hominem communem, dicitur quod pronomen demonstrativum potest dupliciter accipi: uno modo ut significat hoc aliquid, et sic est individuum; alio modo ut significat quale quid, et sic non est individuum. Constat autem quod demonstrando hominem significat quale quid. Sortes etiam potest considerari secundum rem et secundum vocem. Si secundum rem, sic non praedicatur de pluribus, quia impossibile est quod sit aliqua res significata per hoc nomen 'Sortes' in quam conveniant per praedicationem multi homines. Si autem consideratur secundum vocem, sic praedicatur de pluribus; sed hoc est per accidens, quia voces, scripta et conceptus animae non se praedicantur, sed solum per accidens, ratione rerum extra animam quarum sunt signa. Sicut enim res extra animam per se definiuntur, ita per se praedicantur.

## §3

Quattuor argumenta contra litteram, cum suis responsionibus

Contra praedicata arguitur. Et primo quod individuum de nullo praedicatur, quia praedicari de aliquo est esse in eo, ex quo praedicatum habet rationem formae; sed individuum in nullo est; ergo, etc. Ut arguatur sic: si Sortes praedicatur de se ipso, ergo est in se ipso. Consequens est impossibile, quia impossibile est aliquid esse in se ipso -ut probat Aristoteles, IV Physicorum.<sup>6</sup>

Secundo arguitur quod individuum tam signatum quam nominatum praedicatur de pluribus, quia multa sunt in hoc instanti, et multi sunt equi quorum quilibet est Sortis, etc. Et quoniam Sortes est individuum nominatum et Plato est individuum nominatum, ergo individuum nominatum praedicatur de pluribus, videlicet de Sorte et Platone.

Tertio arguitur quod genera et species et alia praedicabilia non praedicantur de pluribus, quia si praedicantur de pluribus, aut igitur per se aut per accidens. Non per se, quia genus et species et alia praedicabilia sunt intentiones accidentales. Si per accidens, et accidens est quod adest et abest praeter subiecti corruptionem, secundum Porphyrius in sequentibus,<sup>7</sup> ergo homo aliquando est species et aliquando non, et animal aliquando est genus et aliquando non -quod est impossibile.

Quarto arguitur quod illae propositiones nominatae sunt falsae. Si enim animal est genus; et omne animal est substantia animata sensitiva; ergo substantia animata sensitiva est genus. Et si homo est species; omnis homo est animal rationale; ergo animal rationale est species. Item, si risibile est proprium; et omne risibile est homo; ergo homo est proprium. Si autem rationale est differentia; et omne rationale est homo; ergo homo est differentia. Si etiam album est accidens; et omne album est substantia; ergo substantia est accidens. Omnes istae consequentiae videntur bonae, quia sunt syllogismi in quarto tertiae

figurae. Omnes conclusiones sunt impossibiles; et numquam minor est falsa; ergo maior est impossibilis, ubi praedicatur universale de subiecto suo.

Ad primum conceditur quod praedicari de aliquo proprie loquendo est esse in eo et notificare illud per dici de illo mediante actu ver bali componendi. Et concedo quod individuum praedicatur de se ipso, quia secundum Boethium<sup>8</sup> nulla praedicatio est verior illa in qua idem praedicatur de se ipso. Et ad Philosophum, IV Physicorum,<sup>9</sup> respondetur quod ipse ibi determinat aliquid esse in se ipso non quidem per se pri mo, sed per se non primo, ratione partium. Ex quo sequitur quod indi- viduum praedicatur de se ipso, etsi non per se primo, tamen per se non primo, ratione partium. Sortes enim est Sortes ratione formae et ratio- ne materiae; constat autem quod forma est per se praedicatum et mate- ria est per se subiectum. Similiter hoc caelum dicit formam et materiam, secundum Philosophum, I Caeli;<sup>10</sup> ideo hoc caelum ratione formae praed- icatur de hoc caelo ratione materiae.

Ad secundum respondetur quod illa individua in obliquo non proprie praedicantur de illis rectis. Non enim instans est in his quae sunt in eo per modum mensurae, neque Sortes est in aliquo equo; conceptus autem transcendens est ille qui implicite praedicatur, quoniam ens est in omnibus illis quae sunt in instanti et in omnibus equis qui sunt Sortis. Et tunc ad argumentum, 'Sortes est individuum nominatum; et Plato est individuum nominatum; ergo individuum nominatum praedica- tur de pluribus', negatur consequentia si subiectum consequentis sup- ponit personaliter, ad intentionem Porphyrii. Si autem supponit simpli- citer, concedatur consequentia et consequens. Quoniam veritas est quod iste terminus 'individuum nominatum' praedicatur de pluribus, sed ille terminus 'individuum nominatum' non est individuum nominatum; sicut ne- que ille terminus 'species' est species, sed illud est species de quo praedicatur ille conceptus, species.

Ad tertium dicitur quod genera et species praedicantur per se de pluribus, secundum suppositionem tam simplicem quam personalem, quam etiam intentionem primam et secundam. Haec enim est per se primo modo 'Sortes est homo'; et iterum illa 'homo est animal'. Ista iterum sunt per se verae 'homo est species', 'equus est species', 'animal est genus', 'color est genus'; sed ista est perseitas secundi modi. Neque inconvenit quod intentio accidentalis praedicatur per se, quia risibile est intentio accidentalis, et praedicatur per se de homine; constat autem quod istae intentiones secundae fluunt a natura communi sicut proprium.

Et si arguitur quod subiectum non ponitur in definitione praedicti, dicitur quod sic non quidem sub conceptu determinato, sed indeterminato. Ex quo enim tales intentiones secundae sunt conceptus indeterminati, subiectum debet poni in definitionibus illarum modo confuso et indeterminato; et secundum hoc habent quandam rationem accidentis communis, in cuius definitione ponitur subiectum sub conceptu confuso et indeterminato, sicut cum dicitur 'album est res habens albedinem'. Habent igitur istae intentiones secundae convenientiam cum proprio quo ad emanationem, quo vero ad definitionem conveniunt cum accidente.

Ad quartum negatur quaelibet illarum consequentiarum, quoniam in qualibet illarum variatur medium quo ad suppositionem simplicem et personalem. Semper enim medium in maiori supponit simpliciter et in minori personaliter. Minor autem extremitas continue in minori supponit personaliter et in conclusione supponit simpliciter. Propterea arguitur ex quattuor terminis. Variata ergo suppositione ex parte modi, non debet variari ex parte alicuius extremitatum, quoniam semper talis debet esse suppositio in conclusione qualis est in praemissis —quod quidem fit per determinationem et limitationem termini transcendentis. Ex omnibus ergo illis praemissis sequuntur istae conclusiones: 'aliquid quod est substantia animata sensitiva est genus', 'aliquid quod est animal rationale est species',

quod est animal rationale est species', 'aliquid quod est homo est proprium et differentia', 'aliquid quod est substantia est accidens'. Omnes istae conclusiones sicut praemissae concedendae sunt.

## §4

Ab his ergo... 2,22-4 . Ista distinctione praemissa, Porphyrius probat definitionem generis per quattuor conclusiones. Quarum prima est haec: genera differunt ab individuis. Secunda conclusio: genus differt a speciebus, ibi:<sup>11</sup> ab his vero. Tertia conclusio: genus differt a proprio, ibi:<sup>12</sup> a proprio vero. Quarta conclusio: genus differt a differentia et ab accidente communi, ibi:<sup>13</sup> a differentia autem.

Primam conclusionem arguit sic Porphyrius: omnia quae praedicantur de pluribus differunt ab his quae de uno solo praedicantur; sed genera praedicantur de pluribus, individua autem tantum de uno solo; igitur genera differunt ab individuis. Patet consequentia cum maiori, minor vero est declarata in distinctione praemissa, ubi est ostensum quod individua signata et nominata solum de uno praedicantur. Omnia autem universalia, inter quae connumerantur genera, de pluribus praedicantur; ita quod licet praedicari de pluribus sit differentia per quam genus differt ab individuo, non tamen est differentia per quam differt ab aliis praedicabilibus; immo per praedicari de pluribus convenit cum omni alio praedicabili. Si enim definitur homo per esse animal gressibile bipes, iuxta doctrinam Aristotelis, II Posteriorum,<sup>14</sup> gressibile est differentia per quam homo differt a volatili et aquatico animali, sed per illam non differt ab equo nec a leone; immo convenit cum illis; per esse bipes autem differt ab his. Et ita in proposito.

Lege litteram: ab his ergo quae de uno solo praedicantur differunt genera, scilicet ab individuis, eo quod de pluribus assignata universalia praedicantur.

De differentia inter genus et individuum in praedicatione

Notandum quod genus et individuum non differunt per praedicari de pluribus absolute, sed per praedicari de pluribus secundum rem, quia individuum praedicatur de pluribus secundum vocem et secundum rationem. Nam 'Marcus', 'Tullius', 'Cicero' sunt nomina synonyma de quibus praedicatur 'iste homo', demonstrando Tullium; sed illa tria non differunt secundum rem nec secundum rationem, sed solum secundum vocem. Deinde, individuum est totum speciei et generis, per Porphyrium,<sup>15</sup> et quia totum dicit formam, ut habetur II Physicorum,<sup>16</sup> ideo individuum potest praedicari de homine et de animali dicendo 'homo est Sortes' et 'animal est Sortes'. Et sic praedicatur de pluribus tam secundum vocem quam secundum rationem, sed non secundum rem; quia homo et animal, de quibus praedicatur Sortes, etsi differunt secundum vocem et secundum rationem, non tamen differunt secundum rem, quia sunt una et eadem res. Immo individuum non proprie praedicatur, ex quo non habet partem subiectivam. Unde dicit Philosophus in Praedicamentis<sup>17</sup> quod a prima substantia non est praedicatio, et quod de nullo dicitur.

Sed dubitatur: nam plures homines numero sunt unus homo communis, ex quo quia ista intentio, homo, significat omnes homines secundum eandem rationem; constat autem quod haec intentio, individuum, significat omnia individua secundum eandem rationem, quae est de uno solo praedicari; ergo plura individua numero sunt unum individuum commune. Quo habito, sequitur quod illud individuum commune praedicatur de pluribus secundum rem, sicut hoc commune, homo.

Item, omnis passio per se competens superiori, per se competit inferiori, ut demonstratur I Posteriorum;<sup>18</sup> sed praedicari de pluribus per se competit animali, quod est superius ad Sortem; ergo etiam per se competit Sorti. Minor arguitur; cuicumque per se competit definitum, eidem per se competit definitio et quaelibet pars eius, per Ari



stotelem, VI Topicorum;<sup>19</sup> sed genus per se competit animali, ut superius est concessum; ergo praedicari de pluribus, quod est pars definitionis generis, per se competit animali.

Ad primum dicitur quod non ex eo plures homines numero sunt unus homo communis quia illa intentio, homo, significat omnes homines secundum eandem rationem, sed quia significat omnes homines solo numero differentes secundum eandem rationem; constat autem quod non omnia individua quae illa intentio, individuum, significat solo numero differunt; immo aliqua differunt specie et aliqua genere. Sicut enim genus et species circuit omnia praedicamenta, ita et individuum. Sicut ergo non datur aliqua una natura in quam unitive concurrunt omnia genera aut omnes species, ita non datur aliqua natura in quam concurrunt omnia individua. Non igitur datur individuum commune ad omnia individua, sicut nec species communis ad omnes species, neque commune genus ad omnia genera, sed solum inveniuntur intentiones communes ad haec omnia.

Ad secundum respondetur concedendo quod animal per se praedicatur de multis; nam omnis demonstratio est ex his quae sunt per se, constat autem quod praedicari de multis demonstratur de animali per esse unum in multis. Neque conceditur quod animal sit per se unum in multis et de multis perseitate primi modi, sed solum perseitate secundi modi. Neque tales passionem competit animal in secundo modo essentialiter, sed solum accidentaliter.

Verbi gratia, risibilitas competit per se homini et Sorti, ut colligitur a Philosopho, I Posteriorum,<sup>20</sup> aliter abiciendae essent demonstrationes particulares; competit autem homini essentialiter, quia competit ei secundum quod huiusmodi, Sorti vero competit accidentaliter, quia Sortes est risibilis non secundum quod Sortes, sed secundum quod homo. Dicitur autem risibile praedicari de homine essentialiter non absolute, quia non est de essentia eius, sed essentialiter in se-

cundo modo, quia est passio essentialis eius. Concedatur ergo quod animal per se de pluribus praedicatur, et quod est per se genus, alioquin frustra Porphyrius exemplificaret de animali, dicens: "ut animal".

Et tunc ad argumentum 'omnis passio competens superiori per se etiam competit inferiori, dicitur quod hoc est verum de passione essentiali, sed non accidentali. Unde rectitudo est passio lineae, et per se illi competit, secundum Philosophum, I Posteriorum,<sup>21</sup> et tamen non competit cuilibet suo inferiori, quia non lineae curvae; longitudo autem per se competit cuilibet lineae. Et hoc ideo quia longitudo est passio essentialis lineae, et rectitudo est passio accidentalis, ut colligitur a Philosopho et Commentatore, V Metaphysicae.<sup>22</sup> Simitas etiam est passio per se competens naso, quia nasus ponitur in definitione eius, et sibi competit primo, quia non per aliud subiectum, et tamen non competit cuilibet naso. Neque hoc tantum invenitur ubi passio est minus communis quam subiectum, sed etiam ubi est magis communis. Nam commutata proportio est passio per se competens lineis, per Aristotelem, I Posteriorum,<sup>23</sup> et est communior quam illud subiectum, quia etiam competit temporibus et numeris, secundum ipsum ibidem; et tamen non competit omnibus lineis, quia non duabus, eo quod commutata proportio requirit quattuor terminos, ac si argueretur: sicut se habet .a. ad .b. ita se habet .c. ad .d., ergo a commutata proportione sicut se habet .a. ad .c. ita se habet .b. ad .d. . Ita in proposito est dicendum quod praedicari de pluribus per se competit animali tanquam passio accidentalis, quia competit animali non secundum quod huiusmodi, sed per aliud subiectum, quod quidem est innominatum, eo modo quod dicit Philosophus, I Posteriorum,<sup>24</sup> quod commutata proportio competit lineis et temporibus non secundum quod huiusmodi, sed per aliud subiectum quod quidem innominatum est. Quando ergo dicitur quod generalitas et praedicabilitas fluunt a natura animalis, hoc non est intelligendum secundum quod huiusmodi, sed ratione alicuius alterius, quod

quidem innominatum est. Sicut rectitudo fluit a natura lineae non se cundum quod linea, sed secundum quod medium non discrepat ab extremis.

Et si aliquis diceret: 'quod aliqua passio competat alicui et non cuilibet contento sub eo est necessarium, sed quod nulli competat vi detur impossibile; constat autem per ea quae dicta sunt quod genus competit animali et nulli animali competit', responderetur quod illud non est inconveniens de passionibus secundae intentionis, quoniam ta les aliquo modo mediant inter passiones accidentales primae intentio nis et accidentia communia. Fluunt enim a natura non secundum quod hu ius(modi), sicut faciunt passiones accidentales primae intentionis; de finitur autem per conceptus confusos, sicut accidentia communia. Et magis confuse, quoniam in definitionibus accidentium communium diffe rentia habet conceptum distinctum; in definitionibus autem conceptum secundae intentionis non est aliquis conceptus qui non sit confusus -ut notum est.

#### §6

Ab his vero ... 2,24-3,1 . Secunda conclusio: genus differt a speciebus. Probatur: illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie differt ab eo quod praedicatur de pluribus differentibus nume ro; sed species praedicatur de pluribus differentibus numero, genus autem de pluribus differentibus specie; igitur, etc. Tenet consequen tia cum maiori; minor vero declaratur quo ad ambas partes. Species enim etsi praedicatur de pluribus sicut genus, non tamen de pluribus eo modo differentibus sicut genus; quoniam species praedicatur de plu ribus differentibus numero solum, genus autem de pluribus differenti bus specie.

Verbi gratia, homo est species et praedicatur de Sorte et Platone, quia eorum quilibet est homo; constat autem quod non differunt specie Sortes et Plato, quia conveniunt tam in differentia essentiali quam

in propriis passionibus, eo quod tam Sortes quam Plato est rationalis, et risibilis et disciplinabilis. Accidentia enim magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est, per Philosophum, in prooemio De anima.<sup>25</sup> Animal vero, quod est genus, non tantum de Sorte et Platone praedicatur, sed etiam de homine et de equo, qui differunt specie et non solo numero differunt. Conveniunt ergo et differunt genus et species. Conveniunt quidem in hoc, quod est praedicari de pluribus, ac etiam in hoc, quod est praedicari de pluribus differentibus numero; nam quae cumque differunt specie differunt numero, per Philosophum, V Metaphysicae.<sup>26</sup> Si ergo genus praedicatur de pluribus differentibus specie, necesse est quod praedicetur de pluribus differentibus numero. Disconveniunt autem in hoc, quod est praedicari de pluribus differentibus numero solum, et quod est praedicari de pluribus differentibus specie, quia species et non genus praedicatur de pluribus differentibus numero solum, genus vero et non species praedicatur de pluribus differentibus specie.

Lege litteram: ab his vero quae de pluribus praedicantur, ut a speciebus quidem genus differt, quoniam species etsi de pluribus praedicatur, non tamen de differentibus specie, sed numero. Homo enim, cum sit species, de Sorte et Platone praedicatur, qui non differunt specie a se invicem, sed solo numero. Animal vero cum sit genus, de homine, bove et equo praedicatur, qui differunt a se invicem specie, non numero solo.

## §7

Notandum primo quod licet idem sit genus et species, tamen aliud competit ei in eo quod species et aliud competit ei in eo quod genus. Sicut idem est triangulus et prima figura rectilinea, et tamen triangulus secundum quod huiusmodi habet tres angulos aequales duobus rec

tis, prima autem figura rectilinea secundum quod huiusmodi non habet tres angulos aequales duobus rectis, sed est figura qua nulla alia figura rectilinea est prior, ita in proposito animal est genus et species; tamen aliud convenit sibi in eo quod species et aliud in eo quod genus. In eo quod species praedicatur de pluribus differentibus numero solum, in eo vero quod genus praedicatur de pluribus differentibus specie. Non est ergo verum quod communiter dicitur Porphyrium solum definire speciem specialissimam per hoc quod est praedicari de pluribus differentibus numero solum; sed sicut definit genus in communi, sive sit generalissimum sive subalternum, ita definit speciem in communi ut se extendit ad speciem specialissimam et speciem subalternam. Quia ergo animal ut animal praedicatur de pluribus differentibus specie, non autem de pluribus differentibus numero solum, propterea exemplificando de specie accepit illum conceptum, homo exemplificando autem de genere accepit illum conceptum, animal.

## §8

Quomodo genus et species praedicantur de individuis

Secundo notandum quod non eodem modo genus et species praedicantur de individuis, quoniam species immediate praedicatur de individuis, genus vero mediante specie. Si ergo animal praedicatur de individuis et speciebus, in eo quod genus praedicatur immediate de speciebus, in eo vero quod species praedicatur immediate de individuis; non quidem sub tali denominatione 'Sortes' et 'Plato', aut sub illa 'iste homo', 'ille equus', sed sub propria denominatione contracta per pronomem demonstrativum, videlicet 'hoc animal', 'illud animal', quoniam haec sunt propria individua istius conceptus, animal, sicut Sortes et Plato aut iste homo et ille homo sunt propria individua illius conceptus, homo, ut narrat Porphyrius in littera.<sup>27</sup> Et si ille conceptus, animal, praedicatur de homine et de equo in eo quod species, praedicatur de

illis secundum quod numero differunt solum; in eo vero quod genus praedicatur de illis ut differunt specie -et hoc intendit Porphyrius.

## §9

Quomodo debet teneri ille terminus 'de pluribus'  
in definitione generis vel speciei

Tertio notandum quod ille terminus 'de pluribus' in definitione generis vel speciei non tenetur comparative, sed positive; aliter ambae definitiones essent falsae. Haec enim definitio 'genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie' significat quod genus est illud quod praedicatur de illis quae sunt plura quam differentia specie, si ly 'de pluribus' tenetur comparative. Similiter ad eundem intellectum haec est falsa 'species est illud quod praedicatur de pluribus differentibus numero', quia significat quod species praedicatur de his quae sunt plura quam differentia numero -quod non est verum. Sortes enim et Plato non sunt plura quam differentia numero, sicut homo et asinus non sunt plura quam differentia specie. Sed illae definitiones sunt sic intelligendae: genus est illud quod praedicatur de multis differentibus specie, species est illud quod praedicatur de multis differentibus numero solum; intelligendo quod exclusio determinet illud verbum 'praedicatur', quia genus praedicatur de multis differentibus numero solum, videlicet animal, quod praedicatur de Sorte et Platone, qui differunt numero solum. Debet ergo illa definitio sic intelligi: species est illud quod solum praedicatur de multis differentibus numero. Et debet intelligi comparatio illorum multorum ad se invicem, quia homo praedicatur de multis differentibus specie. Differunt enim Sortes et Plato specie non quidem a se ipsis, sed ab equo et bove. Propterea dicit Porphyrius quod homo praedicatur de Sorte et Platone, qui non differunt specie a se invicem, sed numero.

## §10

Quot modis accipiuntur 'unum numero' et 'plura numero'

Quarto notandum quod 'unum numero' tripliciter accipitur, videlicet metaphysice, mathematice et physice. Unum numero metaphysice sumptum est unum per indivisionem, et sic Deus et intelligentiae sunt unum numero.

Sed unum numero mathematice consideratum est unum per quantitatem, et sic linea et superficies est unum numero. Isto modo non est unum numero aliqua substantia separata. Unum vero numero physice acceptum est illud quod est unum per materiam, ut Sortes et Plato, eo modo quo loquitur Philosophus, V Metaphysicae,<sup>28</sup> dicens: "illa sunt unum numero quorum materia est una". Isto modo non est unum numero aliqua quantitas aut intelligentia separata.

Consimiliter plura numero metaphysice sunt illae quae sunt multa per divisionem, et sic duae substantiae separatae sunt plura numero. Plura numero mathematice sunt illa quae sunt multa per quantitatem, ut duae lineae vel tres superficies. Plura numero physice sunt illa quae sunt multa per materiam, ut duo homines vel duo equi.

Loquitur ergo Porphyrius de differentibus numero quolibet istorum modorum, quoniam et in substantiis separatis et in quantitibus et in rebus naturalibus inveniuntur plura differentia numero et specie quae sunt plura numero et plura specie.

## §11

Quattuor argumenta contra litteram, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur, probando quod non sit de ratione generis praedicari de pluribus differentibus specie. Et primo sic: aliquid est genus quod non potest praedicari; et aliquid est quod non potest de pluribus praedicari; ergo, etc. Antecedens est manifestum de subiecto et praedicato huius vocalis 'animal est corpus'; quodli-

bet illorum extremorum est genus, et subiectum non potest praedicari, neque praedicatum praedicari potest de aliquo alio, quia quod semel est dictum amplius resumere non potest

Secundo: aliquid praedicatur de pluribus differentibus specie quod non est genus, igitur etc. Probat<sup>ur</sup> antecedens: nam ens, motus et homo praedicantur de pluribus differentibus specie; et nullum illorum est genus; ergo etc. Minor est evidens, quia non est transcendens, et motus est postpraedicamentum, et homo est species specialissima. Maior declaratur: nam ens praedicatur de homine et de equo, qui differunt specie; et motus praedicatur de argumentatione et alteratione, quae differunt specie; homo autem praedicatur de Sorte et Berta, quae differunt specie. Quod arguitur sic: magis differunt Sortes et Plato; sed Sortes et Plato differunt numero; ergo Sortes et Berta differunt plus quam numero. Quod verificari non potest nisi differant specie.

Tertio: genus praedicatur immediate de his quae conveniunt specie, ergo non est de ratione generis praedicari de pluribus differentibus specie. Antecedens arguitur, quia animal est genus quod immediate praedicatur de homine et de equo; constat autem quod homo et equus conveniunt in specie tam primae quam secundae intentionis, quoniam tam homo quam equus est animal et species.

Quarto: genus potest conservari in unica specie, igitur etc. Probat<sup>ur</sup> antecedens: sicut se habet species ad individuum, ita genus ad speciem; sed species potest conservari in unico individuo, ut patet de sole et de luna, et de qualibet specie substantiarum separatarum; igitur etc.

Et confirmatur: quia genus et species sunt correlativa, ut videbitur in alio capitulo, ergo posita unica specie poneretur genus. Patet consequentia, quia correlativa sunt simul natura, et posito uno ponitur reliquum, per Philosophum in Praedicamentis.<sup>29</sup>

Ad primum dicitur quod Porphyrius loquitur de genere reali et non



vocali, scripto vel mentali, quia talia non sunt genera nisi per acci-  
dens, in quantum sunt signa verorum generum, quae dicuntur esse gene-  
ra per se. Dicitur tamen quod talia signa etsi non actu praedicantur  
de multis neque praedicari possunt, tamen sunt apta nata praedicari  
de multis; et ita dictum est ante quod Porphyrius accipit illud ver-  
bum 'praedicatur' ut dicit aptitudinem et non actum neque potentiam.  
Caecus enim habet aptitudinem ad videndum, per Aristotelem, V Metaphy-  
sicae,<sup>30</sup> et tamen non potest videre, quia a privatione ad habitum non  
est possibilis regressio, per ipsum in Postpraedicamentis.<sup>31</sup> E contra  
etiam proprie loquendo in aliquo est potentia in quo non est aptitudo  
correspondens illi potentiae, quoniam lapis potest moveri sursum, et  
tamen non habet aptitudinem ad motum sursum; aptitudo enim, cum sit  
naturalis potentia vel impotentia aut relatio sequens, fluit ab in-  
trinseco.

Ad secundum respondetur quod sicut de ratione speciei est quod prae-  
dicetur solum de differentibus numero, ita de ratione generis est quod  
immediate praedicetur solum de differentibus specie. Constat autem  
quod ens et motus non praedicantur solum de differentibus specie, sed  
etiam genere. Sicut enim omnia quae solo numero differunt sunt eiusdem  
speciei, ita omnia quae sola specie differunt sunt eiusdem generis;  
homo autem et albedo, de quibus praedicatur ens, seu alteratio et aug-  
mentatio, de quibus praedicatur motus, non sunt eiusdem generis sicut  
neque eiusdem praedicamenti.

Item, sicut species secundum quod huiusmodi praedicatur immediate  
de individuis, ita genus secundum quod huiusmodi immediate praedica-  
tur de speciebus; constat autem quod ens non immediate praedicatur  
de speciebus, sed de generalissimis; ergo etc.

Cum autem arguitur de Sorte et Berta quod differunt specie, nega-  
tur consequentia. Sicut non sequitur 'albedo et nigredo magis diffe-  
runt quam albedo et rubedo; sed albedo et rubedo differunt specie;

ergo albedo et nigredo differunt plus quam specie'. Omnia enim contraria sunt eiusdem generis, per Philosophum, X Metaphysicae,<sup>32</sup> ideo differunt tantum specie; non enim possent differre plus quam specie nisi differrent genere. Sicut ergo sub genere datur latitudo convenientiae et differentiae, secundum quam aliquae species magis conveniunt et aliquae magis differunt, ita sub specie datur latitudo individuum, in qua aliqua individua magis conveniunt et aliqua minus.

Ad tertium responsum est quod de ratione generis est praedicari de differentibus specie inter se, modo homo et asinus conveniunt in specie tertia, quae est genus, non autem conveniunt specie inter se. Unde indubie haec est falsa de virtute sermonis 'homo et asinus differunt specie', quia tunc non essent idem specie specialissima neque specie subalterna; sed est vera ad hunc intellectum 'homo et asinus differunt specie inter se'. Et concesso quod homo et asinus conveniunt in specie primae intentionis, non tamen conveniunt in specie secundae intentionis, quia licet tam homo quam asinus sit species, non tamen ille conceptus, species, est species.

Ad quartum respondetur quod genus potest dupliciter considerari: et secundum essentiam et secundum potentiam. Si consideratur secundum essentiam, sic potest genus conservari in unica specie, sicut species in unico individuo, quoniam tota essentia generis est in qualibet suarum specierum, sicut tota essentia speciei est in quolibet suorum individuum. Et sicut de ratione speciei non est quod actu praedicetur de multis individuis, sed tantum quod aptitudine, ita de ratione generis est quod sit aptum natum praedicari de pluribus speciebus; et quoniam praedicari dicit respectum ad intellectum, si non potest inveniri in re multitudo individuum aut specierum, bene potest inveniri in intellectu. Si autem consideratur genus secundum potentiam suarum differentiarum dividendum ipsum, sic non potest conservari in unica specie, quia sicut una differentia constituit speciem, ita et alia

-et hoc intendit Boethius in libro Divisionum,<sup>33</sup> dicens quod sub genere minus duabus speciebus esse non possunt.

Cum autem arguitur de specie respectu individui, similitudo nulla est, quia genus habet potentia<sup>m</sup> differentiarum, species autem non habet talem potentiam, quia non descendit in individua per differentias ~~dividentes~~ ipsam sicut descendit genus in species, sed descendit per divisionem materiae et accidentium. Consequenter concedatur quod genus et species sunt correlativa, et quod si esset unica species necessario esset genus. Haec quidem condicionalis necessaria est; sed antecedens implicat contradictionem, dato quod genus respiciat speciem secundum potentiam et non tantum secundum essentiam.

#### §12

A proprio vero... 3,1-5 . Tertia conclusio: genus differt a proprio. Probatur: omne illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie differt ab illo quod tantum de una specie praedicatur; sed proprium de una sola specie praedicatur, genus autem de pluribus differentibus specie praedicatur; igitur etc. Patet consequentia cum maiori. Minor autem declaratur exemplariter: nam risibile est proprium hominis, et praedicatur de homine ac etiam de omnibus particularibus hominibus; non autem praedicatur de aliqua alia specie. Consimile est de rudibili respectu asini et hinnibili respectu equi. Genus autem praedicatur de una specie et de individuis illius; non autem de una sola specie praedicatur, sicut inductive patet in omni genere cuiuscumque praedicamenti. Conveniunt ergo et disconveniunt genus et proprium: conveniunt quidem quia utrumque praedicatur de aliqua specie et de individuis eius; disconveniunt autem quia proprium non praedicatur nisi de una specie, videlicet de illa cuius est proprium, genus autem praedicatur de pluribus speciebus.

Lege litteram: a proprio vero differt genus quoniam proprium quidem de una sola specie cuius est proprium praedicatur, et de his quae sub

illa specie sunt individuis, quemadmodum risibile de homine solo et de particularibus hominibus; genus autem non de una sola specie praedicatur, sed de pluribus etiam specie differentibus.

## §13

De quadruplici differentia inter genus et proprium

Notandum quod inter genus et proprium quadruplex differentia invenitur. Prima est ex parte praedicationis, quia genus praedicatur de multis speciebus, proprium autem de una sola specie praedicatur.

Secunda differentia est ex parte modi praedicandi, quia genus praedicatur de suis speciebus et de omnibus individuis illarum in primo modo dicendi per se, proprium autem praedicatur de sua specie et de individuis illius in secundo modo dicendi per se.

Tertia differentia est ex parte modi essendi, quia genus est prius suis speciebus et proprium est posterius sua specie.

Quarta differentia est ex parte modi definiendi, quia genus est definiens suas species, proprium autem definitur per suam speciem, ut habetur I Posteriorum.<sup>34</sup> Et hoc est intelligendum de definitione data a priori, quia loquendo de definitione quocumque modo proprium est definiens suam speciem a posteriori. Dicendo enim: 'risibile est homo aptus natus ridere', haec definitio est a priori; sed dicendo: 'homo est animal risibile', haec definitio est a posteriori, quia datur per differentiam posteriorem definito, quae quidem definitio est materialis et demonstrationis conclusio. Ea autem quae datur de homine a priori per genus et differentiam est formalis et demonstrationis principium, ut 'omne animal rationale est animal risibile; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est animal risibile'.

Contra differentiam assignatam inter genus et proprium arguitur. Nam si illa differentia esset bene assignata, sequeretur quod proprium de nullo genere praedicaretur, sed tantum de specie specialissima. 8

Sed hoc est falsum, quod quidem ostenditur sic: quaelibet propria passio alicuius est proprium illius; sed propria passio non tantum invenitur in specie specialissima, sed etiam in genere, et in transcendentibus et in aliis multis quorum nullum est species specialissima; igitur etc.

Probatur antecedens inductive, et primo in praedicamento substantiae: nam vegetativum, nutritivum et generativum sunt propriae passionis corporis animati, per Philosophum, II De anima; <sup>35</sup> gressibile, volatile, bipes sunt propriae passionis animalis, ut habetur II Posteriorum. <sup>36</sup>

Item divisibilitas in infinitum est propria passio continui, ut probatur VI Physicorum; <sup>37</sup> et par vel impar est propria passio numeri, per Philosophum, I Posteriorum. <sup>38</sup> Visibile est propria passio coloris, ut probat Commentator, II De anima. <sup>39</sup> Item, proprium est quantitati secundum eam aequale vel inaequale dici, et proprium est qualitati secundum eam simile vel dissimile dici, ut habetur in Praedicamentis; <sup>40</sup> constat autem quod quantitas et qualitas sunt genera generalissima. Propterea, unum est propria passio entis, ac etiam idem et diversum, secundum Philosophum, IV Metaphysicae. <sup>41</sup> Non posse simul inesse est propria passio contrarii, ut colligitur a Philosopho, X Metaphysicae <sup>42</sup> et in Postpraedicamentis. <sup>43</sup> In Praedicamentis <sup>44</sup> autem dicit Philosophus quod maxime proprium primae substantiae est esse susceptibile contrariorum. Prius etiam ostensum est quod universale, praedicabile, genus, species et consimilia sunt propriae passionis naturarum habentium denominationem primae intentionis; constat autem quod haec omnia aut sunt transcendentia aut extra omnia praedicamenta.

Ad haec omnia breviter respondetur quod sicut se habet definitio ad definitum et species ad suum contentum, ita proprium ad suum subiectum. Definitio quidem competit generi non in quantum genus est, quia aliter procederetur in infinitum, sed in quantum species, prop-

ter quod dicitur, VI Topicorum<sup>45</sup> et VII Metaphysicae,<sup>46</sup> quod solius speciei est definitio. Aliqua etiam est species quae praedicatur non solum de differentibus numero, sed etiam de differentibus specie, ut animal, corpus et huiusmodi; non quidem in eo quod differunt specie, sed in quantum differunt numero, ut paulo ante dictum est. Consimiliter est dicendum de proprio, quod genus et proprium absolute loquendo non per hoc differunt, quia genus praedicatur de pluribus differentibus specie, proprium autem de una sola specie praedicatur, quia ostensum est quod proprium praedicatur de pluribus differentibus specie, eo facto quod competit generi. Sed intendit Porphyrius loqui de genere et proprio per se et non per accidens, quia ea quae sunt per accidens non usitantur in scientia aliqua, per Aristotelem, I Posteriorum.<sup>47</sup> Differunt ergo per hoc genus et proprium, quia genus ut genus praedicatur de pluribus differentibus specie, proprium vero secundum quod huiusmodi de una sola specie praedicatur; ita quod si praedicatur de pluribus differentibus specie, non praedicatur de his secundum quod differunt specie, sed secundum quod sunt unum specie.

Verbi gratia, sensitivum est proprium animalis, et praedicatur de homine et bove; non quidem de homine secundum quod homo neque de bove secundum quod bos, sed de utroque praedicatur secundum quod animal. Similiter, visibile est proprium coloris, et praedicatur de albedine et nigredine, quae differunt specie; non quidem in eo quod differunt specie, sed in eo quod sunt unum specie, quia non praedicatur de aliquo illorum secundum quod huiusmodi, sed secundum quod color.

Quando ergo Porphyrius dicit quod proprium praedicatur de una sola specie, non est intelligendum quod praedicetur tantum de specie, specialissima, quia iste intellectus est falsus, sed quod praedicatur de specie secundum quod est una sola species. Sicut quando dicit Philosophus quod solius speciei est definitio, male glossant aliqui intelligentes quod tantum speciei specialissimae est definitio, quia etiam

genera subalterna definiuntur, sed est intelligendum quod nihil definiatur nisi in quantum est species, sive illud fuerit genus sive species. Ita etiam proprium praedicatur de genere non in quantum genus est, sed in quantum species; neque praedicatur de specie in quantum multa, sed in quantum unum. Et iste est intellectus Porphyrii.

Praeterea, est alia habenda distinctio, quod sicut duplex est definitio, scilicet propria et impropria, ita duplex est proprium. Definitio proprie dicta est illa quae componitur ex genere et differentia; illa vero est improprie dicta quae non componitur ex genere et differentia, ut habetur VI Topicorum<sup>48</sup> et VII Metaphysicae.<sup>49</sup> Ita proprium proprie dictum est illud quod fluit a genere et differentia, proprium vero improprie dictum est illud quod non fluit a genere et differentia.

Verbi gratia, risibile est proprium proprie dictum, quia fluit a genere et differentia hominis, quae sunt animal<sup>et</sup> rationale. Eadem enim sunt principia speciei et propriae passionis, videlicet genus et differentia, sed non eodem modo, quia sunt immediate principia speciei tamquam partes eius, unum ut materia et reliquum ut forma, sunt autem mediate principia passionis in genere causae efficientis. Fluit ergo propria passio a natura specifica tamquam a subiecto recipiente illam, a genere vero et differentia tamquam a principiis effectivis.

Concedatur ergo quod generalissima, et transcendentia et ea quae non sunt in praedicamento habent proprias passiones; sed istae passiones non sunt propriae proprie dicta, quia non fluunt a genere et differentia alioquin generalissima et transcendentia componerentur ex genere et differentia, et consequenter essent species —quod est impossibile. Intentiones etiam secundae si fluunt a naturis primarum intentionum, hoc non est secundum quod huiusmodi, sed secundum aliquod innominatum quod quidem non est genus neque differentia. Intendit ergo Porphyrius de proprio proprie dicto et non de proprio improprie dicto; et sic cessant omnes obiectiones.

Sed dubitatur. Primo, quia si proprium competit speciei secundum quod huiusmodi, sequitur quod non praedicatur per se de aliquo suo individuo -cuius oppositum est dictum de intentione Philosophi.

Item, esse susceptibile contrariorum si est maxime proprium primae substantiae, ergo est proprium proprie dictum; et tamen non fluit a genere et differentia; igitur etc.

Ad primum dicitur, secundum Philosophum, I Posteriorum,<sup>50</sup> quod in plus se habet per se quam secundum quod ipsum. Ita quod omne competens alicui secundum quod ipsum competit ei per se, et non e contra. Unde habere tres angulos aequales duobus rectis competit isosceli per se, non tamen secundum quod huiusmodi, sed secundum quod triangulus. Pro prium ergo competit speciei per se primo et secundum quod huiusmodi, individuis vero per se non primo neque secundum quod huiusmodi. Homo igitur est per se risibilis, et etiam Sortes; sed non eodem modo, quoniam homo per se primo et secundum quod huiusmodi est risibilis, Sortes autem est risibilis per se non primo neque secundum quod huiusmodi, sed secundum quod homo. Patet ergo quod illa consequentia non valet: proprium praedicatur de specie secundum quod huiusmodi, ergo non per se praedicatur de aliquo suo individuo.

Ad secundum etiam negatur consequentia, quoniam susceptibile contrariorum non est maxime proprium primae substantiae per comparisonem ad secundam substantiam, quoniam secunda substantia non recipit contraria per se, sed per accidens, ratione primae substantiae, ut videbitur in secundo tractatu de intentione Philosophi.<sup>51</sup>

#### §14

A differentia autem... 3,5-8 . Quarta conclusio: genus differt a differentia et ab accidente communi. Probatur: omne illud quod praedicatur in quid differt ab omni eo quod praedicatur in quale; sed genus praedicatur in quid, differentia vero, cum omnibus accidentibus



communibus, praedicatur in quale; ergo etc. Unde genus non potest differre a differentia et accidente communi per hoc quod est praedicari de pluribus differentibus specie; sicut differt a proprio, quia praedicari de pluribus differentibus specie ita bene competit differentiae et accidenti communi sicut generi. Sicut enim animal praedicatur de homine et bove, qui differunt specie, ita album et nigrum, quae sunt accidentia communia, praedicantur de eisdem; differentia vero, scilicet rationale, praedicatur de homine et de corporibus caelestibus et de substantiis separatibus, quae differunt specie, dato quod corpora caelestia sint animalia et quod substantiae separatae utantur ratione, sicut Platonici imaginati sunt.

Lege litteram: a differentia autem et ab his quae communiter sunt accidentia, id est: accidentia communia, differt genus, quoniam etsi de pluribus et differentibus specie praedicentur differentiae et communiter accidentia, tamen non in eo quod quid sit praedicari dicimus, sed in eo quod quale sit.

## §15

Interrogantibus enim nos... 3,8-14 . Et si quis quaereret quae est causa propter quam differentiae et accidentia communia praedicantur in quale, genus autem praedicatur in quid, respondet Porphyrius quod ideo differentiae et accidentia communia praedicantur in quale, quia terminant quaestionem quaerentem quale est hoc; genus vero praedicatur in quid, quia terminat quaestionem quaerentem quid est hoc.

Verbi gratia, si quaeritur 'quid est homo', numquam respondebitur 'rationalis' aut 'albus' aut 'niger'; sed si quaeritur 'qualis est homo', respondetur 'rationalis'. Et si quaeritur 'qualis est cygnus' respondetur 'albus'; si autem iterum quaeritur 'qualis est corvus', respondetur 'niger'. Constat autem quod rationale est differentia, album vero et nigrum sunt accidentia communia. Quando autem quaeritur

'quid est homo', numquam respondetur 'rationalis' aut 'albus' vel 'niger', sed respondetur 'animal', quod quidem est genus hominis. Patet ergo quod interrogantibus 'quid est hoc' nos numquam respondemus per differentiam neque per accidens commune, sed per genus; interrogantibus vero 'quale est hoc', non etiam respondemus quod est homo vel animal, sed per differentiam aut per accidens commune.

Lege litteram: interrogantibus enim nos illud de quo praedicatur haec, scilicet differentiae et accidentia communia, non in eo quod quid sit dicimus praedicari, sed magis in eo quod quale sit. Interroganti enim qualis est homo dicimus rationalis, et in eo quod qualis est corvus dicimus quoniam niger est. Est autem rationale quidem differentia, nigrum vero accidens. Quando autem quid est homo interrogamur, respondemus animal; est autem hominis genus animal.

#### §16

##### De acceptionibus istius termini 'quale'

Notandum secundum Philosophum, V Metaphysicae,<sup>52</sup> quod 'quale' non tantum accipitur pro forma praedicamenti qualitatis, sed etiam pro omni differentia substantiali et essentiali alicuius per quam illud ab alio essentialiter distinguitur, et quod intrat definitionem quidditativam illius. Et sic rationale et irrationale dicuntur qualitates, quia terminant quaestionem factam per quale quid, quod est quale essentialiter. Unde si quaeritur quid est homo, respondetur animal, et consequenter si quaeritur quale animal est homo, respondetur quod rationale; si autem quaeritur quale animal est equus, respondetur quod irrationale.

Ubi dicit Commentator<sup>53</sup> quod non solum differentiae divisivae generum et constitutivae specierum sunt qualitates, sed etiam naturae genericae et specifica sumptae in abstracto, videlicet humanitas et animalitas, quia per tales formas homo ab aliis essentialiter differt.

Nam per humanitatem differt homo ab equo, et per animalitatem a plantis, et per corporeitatem a substantiis separatis; per substantialitatem autem non differt ab aliqua substantia, sed tantum ab accidente. Ita quod homo per ultimam differentiam differt ab omni eo quod non est homo, per differentias autem intermedias ab aliquo differt et ab aliquo non, quia per animalitatem non differt homo ab equo, sed a planta vel a lapide. Ex dictis Aristotelis et Commentatoris sequitur quod qualitas tripliciter sumitur. Primo pro omni forma praedicamenti qualitatis, secundum quam quales dicimur, ut ait Philosophus in Praedicamentis;<sup>54</sup> et sic dicuntur esse quattuor species qualitatis, videlicet habitus et dispositio, naturalis potentia vel impotentia, passio vel passibilis qualitas, forma vel figura.

Secundo accipitur pro omni dispositione consequente aliquod subiectum, sive fuerit subiectum in potentia sive fuerit subiectum in actu. Si fuerit subiectum in potentia, sicut materia, necesse est quod quaelibet forma substantialis, sive sit forma partis sive forma totius, sit qualitas, cum sit dispositio aliquo modo consequens materiam, ut anima intellectiva et sensitiva, seu humanitas et animalitas. Si autem fuerit subiectum in actu, illud est individuum, species aut genus. Dispositio consequens individuum est accidens commune, dispositio consequens speciem est proprium, dispositivo vero consequens genus est differentia.

Tertio modo sumitur qualitas pro eo quod opponitur huic quod est hoc aliquod, iuxta illud Aristotelis in Praedicamentis:<sup>55</sup> "substantia prima significat hoc aliquid, substantia secunda significat quale quid". Et sic species et genera dicuntur qualitates ut habent rationem formae et praedicantur in quale, quia ad interrogationem factam per quale respondetur per genus et speciem, ut 'qualis substantia est hoc' respondetur 'animal', et 'quale animal est hoc' respondetur 'homo'.

Quaestio enim 'quid' in generibus et speciebus respicit propositio

nem de secundo adiacente, et terminatur in sursum. Quaestio autem 'qualis' in eisdem respicit propositionem de tertio adiacente et terminatur in deorsum. Si enim quaeritur quid est Sortes, respondetur homo; et iterum si quaeritur quid est homo, respondetur animal; et sic consequenter ascenditur usque ad generalissimum. Concessa autem hac propositione 'hoc est substantia', contingit quaerere qualis substantia est haec, et respondebitur 'corpus'; iterum contingit quaerere quale corpus est hoc, et respondebitur 'corpus animatum'; et sic consequenter descendendo usque quo respondebitur quod est Sortes aut Plato.

### §17

#### Duae dubitationes circa litteram, cum suis responsionibus

Circa praedicta dubitatur. Primo cum proprium praedicetur in quale sicut differentia et accidens commune, propter quid Porphyrius non distinxit genus a proprio per praedicari in quid et in quale, sicut eum distinxit a differentia et accidente communi.

Secundo dubitatur quia videtur quod differentia substantiae non solum sit qualitas large, sed etiam quod pertineat ad praedicamentum qualitatis. Quia ens per se et essentialiter praedicatur de differentiis praedicamenti substantiae, et dividitur in substantiam et accidens, ergo substantia vel accidens per se et essentialiter praedicatur de huiusmodi differentiis. Sed substantia non praedicatur per se de suis differentiis, per Aristotelem, III Metaphysicae;<sup>56</sup> ergo accidens per se de illis differentiis praedicatur. Nullum autem apparet nisi accidens de praedicamento qualitatis.

Ad primum dicitur quod genus prius praedicatur de pluribus differentibus specie quam praedicetur in quid, et proprium prius praedicatur de una sola specie quam praedicetur in quale; ex quo sequitur quod praedicari de pluribus differentibus specie competit essentialiter generi, non autem sibi essentialiter competit praedicari in quid,

cum hoc etiam speciei competat.

Iterum praedicari de una sola specie competit essentialiter proprio; non autem sibi essentialiter competit praedicari in quale, quia hoc alteri competit, scilicet differentiae et accidenti communi. Quia ergo Porphyrius ponere voluit differentiam inter genus et proprium penes ea quae eis non accidentaliter sed essentialiter competunt, ideo non fecit mentionem de modo praedicandi in quid vel in quale. Cum autem distinxit genus a differentia et accidente communi, fuit contentus accipere differentiam penes ea quae non illis essentialiter competunt. Sicut quis posset distinguere hominem a simia ex parte differentiarum essentialium, et hominem ab equo ex parte differentiarum accidentalium.

Ad secundum negatur ultima consequentia, quia ens transcendenter sumptum nullam dicit compositionem. Substantia autem, quae est genera<sup>l</sup>issimum praedicamenti substantiae, aliquam compositionem dicit, vide<sup>l</sup>icet cum suis differentiis et cum partibus subiectivis; ideo de differentiis non praedicatur per se, quae nullam compositionem dicunt. Tamen substantia analogice sumpta per se de differentiis praedicamen<sup>t</sup>i substantiae praedicatur, quoniam illa indifferens est tam ad substantias compositas quam simplices.

#### §18

Quare de pluribus... 3,14-9 . Ex probatis conclusionibus Porphyrius infert duo correlaria. Primum est istud: definitio data de genere distinguit ipsum genus a quolibet alio.

Probatur: omne quod est in mundo differens a genere aut est indivi<sup>d</sup>uum, aut species, aut proprium, aut differentia aut accidens commune; sed definitio data de genere distinguit ipsum a quolibet istorum; ergo etc. **T**enet consequentia cum maiori, et minor declaratur.

Primo quidem ista definitio generis distinguit ipsum ab omnibus in<sup>d</sup>ividuis per praedicari de pluribus, quia genus de pluribus praedica-

tur; nullum autem individuum de pluribus praedicatur, per primam con-  
clusionem. Secundo distinguit eum ab omni specie et proprio per prae-  
dicari de pluribus differentibus specie, quia nulla species neque ali-  
quod proprium de pluribus differentibus specie praedicatur secundum  
 quod huiusmodi; genus autem secundum quod huiusmodi de pluribus diffe-  
rentibus specie praedicatur, per secundam et tertiam conclusionem.  
 Tertio distinguit illud ab omni differentia et accidente communi per  
 praedicari in eo quod quid, quia genus praedicatur in quid, nulla au-  
tem differentia vel accidens commune praedicatur in quid, sed in qua-  
le, aut quomodo se habet, per quartam conclusionem.

Accidentia enim fixa terminant quaestionem quaerentem quale est hoc,  
 sed accidentia in fieri terminant quaestionem quaerentem quomodo se  
 habet hoc. Ut si quaeritur 'qualis est Sortes' respondetur 'albus'  
 vel 'niger', si autem quaeritur 'quomodo se habet' respondetur 'cur-  
 rit', 'ambulat', 'dormit' aut aliquod consimile.

Lege litteram: quare de pluribus praedicari dividit genus ab his  
quae de uno solo praedicatur, sicut individua, differentibus vero spe-  
cie separat ab his quae sicut species praedicantur vel sicut propria,  
in eo autem quod quid sit praedicari dividit a differentiis et commu-  
niter accidentibus, quae non in eo quod quid sit, sed in eo quod qua-  
le sit vel quomodo se habent praedicantur.

## §19

Nihil ergo superfluum... 3,19-20 . Secundum correlarium: defini-  
tio generis nihil continet superfluum aut diminutum.

Prima pars patet, quoniam si in definitione generis aliquid super-  
 fluum poneretur, eo remoto non minus distingueretur ipsum a quolibet  
 alio. Si enim definitur homo per 'animal rationale risibile', haec de-  
finitio est superflua, quia superflue ponitur 'risibile'; nam eo remo-  
to non minus haec definitio 'animal rationale' distinguit hominem a

quolibet alio. Constat autem quod si aliqua illarum trium differentiarum removeatur, genus non distinguitur aut ab individuis, aut a specie et proprio, aut a differentia et accidente communi. Secunda pars correlarii etiam est manifesta; nam si illa definitio esset diminuta propter defectum alicuius requisiti quod in ea non poneretur, ipsa non distingueret genus a quolibet alio. Sicut si definiretur animal per 'substantiam animatam', ista definitio esset diminuta, quia animal distinguitur a planta, et in ea non ponitur aliquid per quod distinguatur a planta, addendo autem 'sensitivum' definitio est completa, quia per ipsum distinguitur animal a planta et a quolibet alio quod non est animal. Constat autem quod dicta definitio generis distinguit ipsum ab omni quod non est genus, ut probatum est; ergo ipsa non est diminuta.

Intendit ergo Porphyrius per ista duo correlaria definitionem generis esse bene datam, quia illa definitio est bene data quae competit cuilibet contento sub definito et per quam definitum distinguitur a quolibet alio, ut probatur VI Topicorum;<sup>57</sup> sed haec definitio competit cuilibet contento sub definito et per eam distinguitur definitum a quolibet alio, ut est ostensum in his duobus correlariis ex fundamento quattuor conclusionum praecedentium; ergo etc.

Lege litteram: nihil ergo superfluum neque minus, id est: diminutum, continet generis dicta descriptio. Notanter dicit 'descriptio', ne credatur quod sit definitio proprie dicta; vocatur tamen definitio large, in quantum est completa notificatio generis.

## §20

### De recta intellectione definitionis generis datae a Porphyrio

Notandum quod Marsilius,<sup>58</sup> Buridanus<sup>59</sup> et alii Ockhamistae dicunt quod definitio generis est sic intelligenda: genus est terminus incomplexus non aequivocus praedicabilis in quid de pluribus, quorum significata differunt specie specialissima illius praedicamenti.

Primo dicitur 'terminus incomplexus non aequivocus', quia genera et species non sunt nisi termini absque compositione plurium terminorum et absque aequivocatione.

Secundo dicitur 'praedicabile in quid', quia non oportet terminum qui est genus praedicari actualiter in quid, sed sufficit quod sit aptus natus praedicari.

Tertio dicitur 'de pluribus, quorum significata differunt specie', quia homo non est genus, et tamen praedicatur de istis terminis 'Sortes' et 'Plato', qui differunt specie, quia magis differunt quam illi 'Sortes' et 'Sortes'; sed illi termini 'Sortes' et 'Sortes' differunt numero; igitur illi termini 'Sortes' et 'Plato' differunt plus quam numero, et consequenter differunt specie. Significata autem eorum non differunt specie.

Quarto dicitur 'specie specialissima illius praedicamenti', quia animal, quod est genus, praedicatur de illis terminis 'homo' et 'equus' quorum significata non differunt specie, quia si homo et equus differunt specie, ergo non conveniunt in specie. Consequens falsum, quia conveniunt in specie caliditatis et humiditatis, aut alterius qualitatis; ideo oportet quod differant specie specialissima illius praedicamenti.

Ista dicta sunt valde digna risu. Ex primo dicto sequitur quod definitio generis non convertitur cum suo definito -quod est contra Porphyrium. Et probatur illud sequi ex eo quia possibile est aliquod genus esse nullo termino existente; sive enim sint termini sive non sint, non minus Sortes et Plato sunt eiusdem speciei, homo vero et equus sunt eiusdem generis. Immo iste Marsilius implicat contradictionem; si enim significata terminorum differunt specie et ipsa non differunt specie per illos terminos, quia sine illis non minus differunt specie, ergo aliquae sunt species quae non sunt termini. Concesso autem quod genus non sit nisi terminus, falsum est quod debeat es



se non aequivocus, quia in generibus latent aequivocationes, secundum Philosophum, VII Physicorum.<sup>60</sup>

Item, ex secundo dicto sequitur quod ad quaestionem quaerentem 'quid est hoc' non potest convenienter responderi 'animal'. Quoniam quaero quid demonstratur per ly 'hoc'. Si terminus, ergo aliquis terminus est animal -quod est impossibile. Si demonstratur res quae non est terminus, igitur de re illa praedicatur ille terminus 'animal', quoniam ge nus, per opinionem. Consequens est contra istos, quia dicunt quod non est praedicatio nisi in terminis.

Item, ex tertio dicto sequitur quod Sortes et Berta differunt specie, secundum quod argutum est supra. Immo sequitur de directo contra opinionem quod illi duo termini 'Sortes' et 'Sortes' differunt specie, quia illi duo termini 'Sortes' et 'Sortes', quorum unus est in mente tua et alius in mente mea, magis differunt quam illi qui sunt in mente mea, propter differentiam subiectorum; sed illi qui sunt in mente mea differunt numero; ergo illi quorum unus est in mente tua et alius in mente mea differunt plus quam numero, et consequenter differunt specie. Probaretur etiam quod Sortes et Plato, qui non sunt termini, differunt specie, quoniam ipsi duo magis differunt quam Sortes et Ci cero, dato quod Cicero plus assimiletur Sorti quam Plato; sed Sortes et Cicero differunt numero; ergo Sortes et Plato differunt plus quam numero.

Item, ex quarto dicto sequitur quod aliquod genus praedicatur de terminis quorum significata non differunt specie specialissima illius praedicamenti. Pono enim quod non sint plures termini in mundo quam isti 'animal' et 'planta' et 'corpus'; et patet quod iste terminus 'corpus' praedicatur de istis duobus terminis 'animal' et 'planta' quorum significata non differunt specie specialissima alicuius prae dicamenti, ex quo nullus est terminus qui sit species specialissima. nec aliquod sit praedicamentum, propter defectum generis generalissi

mi et speciei specialissimae.

Dicendum ergo quod definitio Porphyrii est intelligenda de rebus quae sunt genera et species per se; termini quidem non habent has denominationes nisi in quantum sunt signa illarum rerum, quorum distinctio sumitur ex distinctione obiectorum, per Aristotelem, II De anima.<sup>61</sup> Isti ergo termini 'homo' et 'asinus' differunt specie, quia significata illorum differunt specie; et isti duo termini 'Sortes' et 'Plato' differunt numero, quia eorum significata differunt numero. Isti vero duo termini 'Sortes' et 'Sortes' in eodem intellectum sunt idem numero si considerantur per respectum ad subiectum vel ad obiectum; si autem considerantur per respectum ad se invicem, sic differunt numero transcendentem tamquam duae res particulares. Quando autem subiungitur quod genus non praedicatur de differentibus specie quando praedicatur de homine et de equo, quia homo et equus non differunt specie ex quo conveniunt in specie, iam responsum est, ex littera Porphyrii, quod debet intelligi inter se, modo licet homo et equus conveniant in specie praedicamenti quantitatis vel qualitatis, non tamen conveniunt in illa inter se, quia caliditas vel humiditas non praedicatur de eis tamquam species, sed tamquam accidens.

#### §21

##### Quattuor argumenta contra litteram, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod definitio generis sit diminuta, quia aliquod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid quod tamen non est genus, videlicet definitio.

Secundo arguitur quod sit superflua, quia genus non praedicatur in quid. Non enim in eo quod habet rationem formae, quia ut sic praedicatur in quale; neque in eo quod habet rationem materiae, quia tunc magis notificaret quidditatem rei quam differentia, et consequenter maior notificatio haberetur de re per materiam quam per formam — quod est

impossibile.

Tertio arguitur quod genus non distinguitur a differentia et ab accidente communi per praedicari in quid. Quia differentia superior praedicatur de inferiori in primo modo dicendi per se, per Aristotelem, VII Metaphysicae; <sup>62</sup> sed non in quale, ut manifestum est; ergo in quid. Non etiam differt ab accidente communi per praedicari in quid, quia in omni genere est reperire quid, per Aristotelem, I Topicorum. <sup>63</sup>

Quarto arguitur quod accidens commune non differt a genere per praedicari in quale, quia multa sunt accidentia communia quae non praedicantur in quale, sed in quantum in praedicamento quantitatis, et ad aliquid in praedicamento relationis, et ubi in praedicamento ubi, et quando in praedicamento quando. Si enim quaeritur quantum est hoc, respondetur pedale; et ad quid refertur pater, respondetur ad filium; et ubi fuisti, respondetur in scholis; et quando venisti, respondetur quod heri; et sic de aliis praedicamentis. Immo videtur quod actio et passio praedicantur in quid de primis substantiis; ut si quaeritur quid agit Sortes, respondetur quod domificat, et si quaeritur quid patitur Plato respondetur quod febricitat.

Ad primum dicitur quod quaecumque aliquid dividitur in partes subiectivas, in definitione illarum partium illud divisum est ponendum expresse aut implicite intelligendum; constat autem quod praedicabile, secundum Porphyrium, dividitur in genus, speciem, differentiam, proprium et accidens; ergo definiendo quodlibet istorum, si non ponitur praedicabile expresse loco generis, illud tamen est intelligendum. Propterea definitio generis est sic intelligenda: genus est praedicabile quod praedicatur de pluribus differntibus specie in eo quod quid. Constat autem quod definitio non est praedicabile, alioquin divisio praedicabilis fuisset insufficientis; componitur tamen definitio ex duobus praedicabilibus, videlicet ex genere et differentia.

Ad secundum respondetur quod genus praedicatur in quid et in quale.

Praedicatur in quale ut habet rationem formae; praedicatur autem in quid ut habet rationem materiae et subiecti. Sicut enim praedicari in quale est praedicari per modum informantis, ita praedicari in quid est praedicari per modum subsistentis. Ex his tamen non sequitur quod magis genus notificet quidditatem rei quam differentia, quia rei quiditas non est nisi essentia ut apprehensibilis per intellectum; constat autem quod essentia rei magis apprehenditur ab intellectu per differentiam quam per genus; differentia enim notificat distincte et genus confuse.

Ad tertium dicitur concedendo quod superior differentia praedicatur in quid de inferiori, quia sicut ad quaestionem quaerentem quid est animal respondetur corpus animatum, ita ad quaestionem quaerentem quid est sensitivus respondetur animatum. Non tamen propter hoc differentia superior est genus, quia tunc invenirentur genera et species in lineis lateralibus sicut in linea media, et differentia componeretur ex genere et differentia -quod est impossibile. Sed praedicatur in quid de differentia inferiori tanquam conceptus communior virtualiter conten-tus in differentia inferiori. Motus enim praedicatur in quid de alteratione, et oppositio de contrariedade; et tamen motus et oppositio non sunt genera, quia sunt postpraedicamenta. Differentia ergo superior praedicatur in quid et in quale. Secundum quod praedicatur in quid de differentia inferiori, sic non est differentia; sed est differentia speciei secundum quod praedicatur in quale. Accidens etiam commune si praedicatur de aliquo in quid non est accidens illius, sed solum est accidens illius de quo praedicatur in quale.

Ad quartum respondetur quod omnia accidentia communia praedicantur in quale, et non sequitur 'praedicantur secundum alia quaesitiva, ergo non praedicantur in quale'. Unde in praedicamento quantitatis primo quaeritur quantum est hoc, et respondetur quod est pedale; quo habito, iterum quaeritur quale pedale est hoc, et respondetur quod est pedale longum,

aut latum, vel profundum. Item, in praedicamento relationis primo quaeritur ad quid refertur pater, et responso quod refertur ad filium consequenter quaeritur qualis relatio est patris ad filium et filii ad patrem; respondetur quod filii ad patrem est relatio suppositionis, patris autem ad filium est relatio superpositionis. Item, in praedicamento ubi quaeritur ubi fuisti, et primo respondetur quod in scholis; deinde quaeritur quale ubi habent illae scholae, et respondetur quod sursum vel deorsum, aut secundum aliam differentiam positionis. Item, in praedicamento quando, postquam est responsum quod heri, contingit quaerere quale quando habet heri, et respondetur quod in praeteritum. Item, concedatur quod actio et passio praedicantur in quid de substantiis primis; sed non praedicantur ad quaestionem quaerentem quid est hoc, sed solum ad quaestionem quaerentem quid facit hoc, quid patitur illud. Concesso ergo quod Sortes domificat et quod Plato febricitat, contingit iterum quaerere quomodo domificat Sortes et qualiter febricitat Plato, et respondetur per bene domificare et per male febricitare. Unde quaestio 'qualis' potest fieri nominaliter et adverbialiter; propterea dicit Porphyrius quod accidentia communia praedicantur in quale vel quomodo se habet. Potest ergo quaeri per quomodo se habet expresse et implicite: expresse quidem ut 'quomodo se habet Plato in aedificando?'; implicite vero aequivalenter, ut 'quomodo aedificat Sortes?' -sicut dictum est, etc..